



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De oblationibus parochitarum cuius esse debeant. cxxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

noſtri Eccleſiæ cura & ſolicitudine neceſſitatum corporalium, ſine quibus hæc vita tranſigi non poteſt, releuati, liberiores fiant ad meditationem diuinæ legis & doctrinæ adminiſtrationem, atque ſpiritalis ſeruitij voluntariam expletionem. Et vt munus populi in quotidiana oblatione domino immoletur, nec non ſecundum ſtatuta canonica in ſuſtentionem pauperum, & reſtaurationem Eccleſiarum proficiat. Quatuor enim partes iuxta canones fieri de fidelium oblationibus debent, vt vna ſit epiſcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta reſtaurationi eccleſiarum ſeruetur.

De illis qui decimam dare noluerint niſi precio redimantur. Cap. CXXXIIII.

DE decimis quas populus dare non vult, niſi quolibet munere ab eo redimantur, ab epiſcopis prohibendum eſt ne fiat.

Ex cõcil. Mediomatricis.

Vt decima Dei census nuncupetur. Cap. CXXXV.

cap. 3.

Item, quod decima, quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupanda eſt, & ideo ex integro reddenda. Cuius tertia pars ſecundum canonem Toletanum, epiſcoporum eſſe debet. Nos verò hac poteſtate vti nolimus, ſed tantum ſingulis annis quartam partem vſu Romanorum pontificum, & obſeruantia ſanctæ eccleſiæ Romanæ de eadem habere volumus. Quod ſi quis contentioſus inde repertus fuerit, ſiue clericus, ſiue ille laicus ſit, communionem priuabitur, & ſynodali cenſura iudicabitur.

Ex cõcil. Agrippin. ca. 6.

De oblationibus parochitarum cuius eſſe debeant.

Caput CXXXVI.

DE his quæ ad parochitanas eccleſias offeruntur, in tertijs, vineis, mancipijs, peculijs, antiquorum canonum inſtituta ſeruentur, vt omnia in epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his autem quæ altaribus offeruntur, tertia pars fideliter epiſcopis deferatur, duæ clericis, decimæ autem ſecundum quosdam ſingulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos ſequentes Romanos, ſingulis annis quartam partem, aut in quarto totam epiſcopi recipiant.

Ex cõcil. Toletano.